

**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsi[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

Θ. Confusus vulgo & infinitus stellarum numerus, Mathematicis certus & circumscriptus. infinitum sequi multitudo Versuum non potuit: circumscriptum, multitudo Dotium non debuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

περισσῶν ἐις τὸ αὐτὸ συντιθέμενων ἀποτελέμενος. Omnipi-
no ita est: iunge vnum, tria, quinque, septem,
numeros impares; item duo, quatuor, sex, octo,
pares, triginta sex conflabis. Vel simpliciter, pri-
mos octo numeros collige, (tot in versu voces
sunt) & Protei omnes litteras inuenies. An &
addo? Senarius sexies sumptus, triginta sex con-
ficit. cùm verò Senarius perfectionem denotet;
quidni quadratus Senarij summam perfectio-
nem? Atque hic numerus, hæc, inquam, litteræ,
hic Proteus, inuestigandi numeri Humani velut
radix videatur. Numeri Humani, 100. LXVI.
quem in Apocalypsi Diuinus Scriptor ostendit. Cap. xiii.

Etenim si tot numeri, quot in Proteo litterarum
elementa sunt, seorsim positi, in summam vnam
coalescent, sexcenta sexaginta sex definientur.
Hæc in Versu Virgineo mira sunt, ut mira omnia
in Virgine fateamur.

T H A V M A . O.

*Confusus vulgo & infinitus stellarum numerus,
Mathematicis certus & circumscriptus. infinitum
sequi multitudo Versum non potuit: circum-
scriptum, multitudo Dotum non debuit.*

DOTES Virginis & *χαείσματα* quis inuesti-
get, aut recenseat? ne stellas quidem uno
consensu mortales ausi: & qui ausi, discrepant.

L Pleri-

82 PIETATIS THAVMATA

Plerique confusum & innumerum confessi numerum, oculis crediderunt: alij tot lumen fidem acriori explorantes examine, traxere ad calculos cælum, & remotam ab homine naturam supputarunt. Chrysippus olim mille quinquaginta octo stellas obseruauit. Hipparchus & Ptolemæus imminuerunt etiam numerum; rati, satis lucidam mille & duodecim facibus stellantem cæli regiam fore. Omnis verò ille lumen chorus in sex Classes distributus, totidem Magnitudines habuit; & in primâ stellas x v. in secundâ x l v. in tertiatâ c c v i i. in quartâ c c c l x x i v. in quintâ c c x v i i. in sextâ l i i i. Sed nouâ deinde obseruatione creuit iterum series, & stellæ decem adiectæ: quemadmodum hodie mille viginti duæ recensentur: nisi quod sextæ magnitudinis x l i x. sint; extra magnitudinem x i v. quæ partim Nebulosæ, partim Obscuræ appellatæ. Hunc numerum sic obseruatum expressit Vates, ut & nebulas & tenebras declinârit: versus enim siue nebulosos, siue obscuros arcuit: sed vniuersam pulchritudinem varietate gratissimâ commendauit. Cælum sic se habet: & Proteus sic se habet. Virginis Encomium, nil iam nisi cælum est: quidquid lucet, hic vides. Quid? ut stellas numeres, non opus est cælo: tot in Proteo versus sunt, cum cælo Proteus comparatur. Admiror cælum, admiror Encomium; sed magis

Virgi-

Virginem: Encomium Virgo facit, facit cælum.
Encomium tamquam stellis conspersum, & cæ-
lum versibus illustratum. Crescent stellæ, infra
Virginis tamen Dotes stellæ erunt: crescent ver-
sus, Virginis χαρισματα Proteum tamen vincent.

THAVMA I.

*Stella & Dotes magis expensa: illas, videri infini-
tas; sed has esse. Proteus an sit, an videatur?
Virgo παντεληνος, omnibusque stellis clarior. Ver-
sus Miraculum.*

MIRACVLA quis in dubium vocet? Proteus
Miraculum est: & cælum, cuius imaginem
Proteus sumit, Miraculum est. Proteus est cæ-
lum: imò tot in vno versu Protei , aut tot in vno
Proteo versus sunt, quot in cælo stellæ. Has nu-
mero, nec tamen numero. Si oculis fides, innu-
meræ sunt & infinitæ. Dei voce vtar : *Susifice cæ- Genes.
lum, & numera stellas, si potes. Quid dicam? Co- cap. xii.*
cita Virginem, & numera Dotes, si potes. Stel-
las nemo numerabit, sed nec Dotes. Iam fateor,
amplius in Virgine esse, quàm in Proteo. Supe-
rare Virgo cælum potuit, quidni imaginem cæli?
Imago cæli Proteus est: an iam imago? vincitur.
Omnes Protei μορφωσεις, & μεταμορφωσεις ver-
suum numero definitæ sunt: sed nullâ numeri le-
ge comprehendi omnes illæ stellarum scintillæ

L 2 queunt.